



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita
accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum
notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum
Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 81. Vtrum Deus prædefiniat, an solum permittat actus liberos moraliter
malos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

Deus per suam æternam prædestinationem prædestinatis conferre vult non solum potentiam ad merendum, perseverandum, & consequendum salutem, sed etiam ipsa merita, ipsam perseverantiam, & ipsam salutem; hæc autem non vult efficaciter conferre reprobis; ergo Deus per suam æternam prædestinationem prædestinatos specialissimè diligit, eligit, & discernit à reprobis; ideoque Apostolus ad Ephesios 1. dicit: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*: 1. ad Corinthios 4. *Quis te discernit: quid habes, quod non acceperis?* Quo testimonio Augustinus redarguit Pelagianos, & Semipelagianos dicentes, sanctos discernere se ipsos per omnia, vel saltem aliqua merita, quæ non acceperint à Deo.

34. Ad 1. desumptum est auctoritate Damasceni, respondeo verbis Sancti Thomæ 1. parte, quæstione 23. art. 1. ad primum. *Dicendum, quod Damascenus nominat prædeterminationem impositionem necessitatis, sicut est in rebus naturalibus, quæ sunt prædeterminate ad unum. Quod patet ex eo, quod subdit. Non enim vult malitiam, neque compellit ad virtutem: unde prædestinatio non excluditur. Deus igitur non prædeterminat, neque prædefinit actus liberos prædefinitione necessitante: & quia prædefinitio, quæ non dirigeretur à scientia media, esset omnino antecedens actum liberum, adeoque ad illum necessitaret, ut dicitur quæst. 83. ideo Deus non prædefinit actus liberos prædefinitione non directà à scientia media. Prædefinit tamen illos prædefinitione directà à scientia media, quæ proinde non est omnino antecedens, sed aliquo pacto est consequens, ideoque non necessitat, ut explicabitur quæst. 86.*

35. Ad 2. distinguo maiorem: si Deus prædefiniret nostros actus liberos prædefinitione omnino antecedenti, tales actus non essent nobis liberi, concedo: si prædefiniret prædefinitione aliquo pacto consequenti, tales actus non essent liberi, nego; & distinguo eodem pacto consequens. Prædefinitio aliquo pacto consequens non aufert libertatem actui prædefinito; sed Deus prædefinit actus liberos honestos prædefinitione aliquo pacto consequenti; ergo non aufert illis libertatem.

QVAESTIO LXXXI.

Utrum Deus prædefiniat, an solum permittat actus liberos moraliter malos?

1. **V**idetur Deus non solum permittere, sed etiam efficaciter prædefinire actus moraliter malos, & peccaminosos. Primò enim Deus in Scriptura dicitur inducere ad malum, mentes vertigine percutere, spiritu soporis inebriare, incutere amentiam, obdurare corda; sed hæc omnia significant Deum prædefinire actus malos; ergo &c.

2. Secundò Deus est causa per se, & ex in-

tentione omnis boni; non solum moralis, sed etiam physici: sed peccatum, ex. gr. odium Dei est actus physicè bonus, licet sit malus moraliter; ergo. Confirmatur: nam de ratione boni non solum moralis, sed etiam physici est, ut non possit dari, nisi Deo volente; ergo actus peccaminosus, in quantum est physicè bonus, dari nequit, nisi Deo volente, & illum definiente.

3. Tertiò Deus non potest concurrere ad ullum effectum, nisi volens concurrere: sed Deus concurret ad actum peccaminosum, puta ad odium Dei; ergo vult concurrere; sed concursus identificatur cum actu peccaminoso; ergo Deus volendo concursum, vult, & prædefinit ipsum actum peccaminosum.

4. Quartò Deus potest per suam omnipotentiam physicè concurrere ad actum peccaminosum, puta ad odium Dei, non in quantum est actus moraliter malus, sed in quantum est physicè bonus; ergo Deus potest per suam voluntatem efficaciter velle, & prædefinire actum peccaminosum, puta odium Dei, non in quantum est moraliter malus, sed in quantum est physicè bonus. Nam quod est obiectum diuinæ omnipotentiae, potest esse etiam obiectum diuinæ voluntatis, ut id efficaciter volentis.

5. Quintò Deus potest prædefinire actus bonos, salva eorum libertate; ergo potest etiam prædefinire actus malos, salva eorum libertate.

6. Respondeo plures fuisse errores Hæreticorum, & opiniones Catholicorum. Primò ergo ex hæreticis, ut ex Vincentio Lirinensi refert Bellarminus lib. 2. de Amissione gratiæ, & statu peccati, cap. 1. Simon Magus licet apertè non docuerit Deum velle, aut imperare, & etiam efficere mala, & peccata, tamen ea ratione Deum peccatorum nostrorum causam esse asseruit, quod eam naturam nobis dederit, quæ non possit non peccare.

7. Secundò Cerdonistæ, Marcionistæ, Manichæi, Priscillianistæ, & Albigenes, qui diversis temporibus asseruerunt dari duo prima principia, & veluti duos Deos, alterum bonum, alterum malum, docuerunt Deum non quidem bonum, sed malum esse primariam causam peccati, & quæ cogat homines ad peccandum.

8. Tertiò primus, qui expressè docuerit Deum, & bonum Deum esse auctorem peccati, & omnium scelerum, fuit quidam Florinus, qui ex Montani discipulo per novum hoc dogma Hæresiarca fieri meruit, & idcirco ab Irenæo apud Eusebium Cæsariensem lib. 5. Histor. cap. 20. plusquam hæreticus nominatus est. Errorem Florini ab initio secuti sunt Lutherus, & Melancton, qui in capit. 8. Epist. ad Rom. dixit, sic esse opus Dei Davidis adulterium, & Iudæ prodicionem, sicut Pauli vocationem. Sed hunc errorem Lutherus, & Melancton deinde retractarunt.

9. Quartò Zuinglius, Caluinus, & Beza licet

hec verbo tenus negarint Deum esse auctorem peccati, tamen dixerunt Deum non solum permittere, sed etiam efficaciter velle, & ab æternitate decernere, ut fiant quæcunque sunt ab hominibus peccata, imò imperare, Satagere, & improbis hominibus, ut concipiant maleficia, eosque ad hoc inclinare, impellere, & etiam cogere, & in mentibus impiorum operari, & per eos, tanquam per sua instrumenta Deum ut primam causam facere ea omnia, quæ respectu hominum verè dicuntur, & sunt peccata. Addunt Deum hæc omnia facere bona intentione, ac proinde non peccare, neque esse auctorem, & causam peccandi.

10. Contra hos errores de fide est Deum non solum non esse auctorem peccati, sed nec velle, ut homines peccent, ac proinde non prædefinire peccata. Concilium enim Arausicanum 2. can. 25. dicit. *Aliquos ad malum divina potestate prædestinatos esse non solum non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.* Tridentinum sess. 6. canone 6. dicit: *Si quis dixerit mala opera ita ut bona Deum operari, non permittendo solum, sed etiam propriè, & per se, adeo ut sit proprium eius opus non minus proditio Iudæ, quam vocatio Pauli, anathema sit.*

11. Probatur primò ex Scriptura. Psalmo 5. dicitur: *Non Deus volens iniquitatem tuas.* Ezechiel. 13. *Numquid voluntatis meæ est mors impij dicit Dominus.* 2. Petri 2. *Deus neminem vult perire:* sed si Deus vellet, ut impij peccarent, & propter peccata perirent, vellet mortem impij, & vellet, ut impij perirent; ergo &c.

12. Probatur secundò ex Patribus citatis quæstione 80. num. 6. qui dicunt Deum ab æterno omnia præcisse tum bona, tum mala, prædestinasse autem sola bona, mala præcisse tantum, non prædestinasse, neque prædestinasse. Patribus eo loco citatis addi potest Hieronymus, qui in caput 1. Epist. ad Ephesios dicit. *Non quod omnia, que in mundo sunt, Dei voluntate, & consilio peragantur; alioquin & mala Deo potuerunt imputari &c.* ergo. Plura alia loca videri possunt apud Bellarminum lib. 2. de Amissione gratiæ, & de statu peccati, cap. 9. & apud Ruiz.

13. Probatur tertio conclusio ratione. Nam repugnat divinæ bonitati, ut velit hominem facere id, quod illi prohibet; sed Deus prohibet homini peccata; ergo. Confirmatur, nam homo non potest peccare, si velit facere id, quod Deus, qui est prima regula, vult hominem velle; ergo si Deus vellet hominem peccare, homo peccando non peccaret, ac proinde sequeretur contradictio. Hæc ratio desumpta est ex Anselmo lib. de lib. arbitrii, cap. 8. Aliæ rationes desumptæ ex alijs Patribus videri possunt apud Bellarminum lib. 2. de Amissione gratiæ, & statu peccati, cap. 10.

14. His contra hæreticos statutis, superest

controversia inter Catholicos, vtrum licet Deus non possit efficaciter velle, & præfinire peccatum quoad formalem malitiam, tamen possit illud prædefinire quoad materialem entitatem actus. Explicatur. Constat apud omnes actus deliberatos, quibus quis odit Deum, vult blasphemare, peierare &c. esse malos, & peccaminosos: sed dubitatur, in quoniam consistat malitia formalis talium actuum. Aliqui dicunt malitiam formalem odij Dei e. g. consistere in ipsa entitate positiva odij: siquidem odium per suam positivam entitatem opponitur legi prohibenti odium. Alij satis communiter asserunt, malitiam formalem non consistere in entitate positiva actus, quæ entitas secundum se præcisè est bona, sed consistere in privatione rectitudinis debitæ, ac debiti ordinis ad regulam rationis. Hanc privationem aliqui existimant identificari realiter cum actu, ac sola ratione distingui, & hanc sententiam ego securus sum in Tractatu de vitijs, & peccatis: alij putant distingui realiter ab actu, sed ex actu ex necessitate sequi. Hoc posito, quæritur, vtrum Deus licet non prædefiniat, nec possit prædefinire actum quoad malitiam formalem consistentem in privatione, possit actum peccaminosum prædefinire, ac de facto prædefiniat quoad entitatem materialem, quæ realiter, vel ratione distinguitur à malitia formali. Affirmant communiter recentiores Thomistæ. Negant Auctores Societatis.

15. Dicendum: Deus non prædefinit, nec potest prædefinire actus peccaminosos etiam quoad materialem entitatem.

16. Probatur primò: nam si Deus prædefiniret actus peccaminosos quoad materialem entitatem, vellet, ut peccator ex. gr. Deum odisset, haberet voluntatem liberam blasphemandi, peierandi, committendi furta, adulteria &c; sed Deus hoc non vult, neque potest velle; ergo. Probatur minor auctoritatibus Conciliorum, & Patrum allatis num. 10. 11. & 12. Arausicanum enim dicens anathema asserentibus aliquos ad malum prædestinari, loquitur absolute, ac proinde absolute negat aliquos à Deo prædestinari ad volendum blasphemare, peierare &c; ergo non debet restringi ad sensum metaphysicum, dicendo, quod negat solum Deum prædestinare ad malum secundum formalitatem formalis malitiae, licet prædestinet ad actus, quibus quis vult blasphemare, peierare &c. Idem dic de Tridentino, & Patribus citatis. Confirmatur: nam hæretici absolute dicebant Deum prædestinare ad volendum blasphemare, peierare, & non asseriebant hoc cum reduplicatione metaphysica, dicendo; *Deus prædestinat ad voluntatem blasphemandi, quatenus hæc voluntas mala est;* ergo. Confirmatur secundò, nam Calvinus lib. 1. Instit. cap. 18. num. 4. videtur negasse Deum prædefinire formale peccati, dum loquens de defectione decem Tribuum à Filio Salomonis dicit: *Videmus, ut Deus perfidiam*
H h
nolen-

volendo, defectionem tamen iuste velit; ergo negat Deum voluisse perfidiam, in qua consistebat formale peccati; sed opinio Caluini damnata est à Tridentino; ergo Tridentinum negat Deum velle etiam materiale peccati.

17. Probatur secundo conclusio ratione. Nam sequeretur, quod Deus absolutè vellet, ut creatura Deum odio habeat, blasphemet, ac peieret, cognoscens se obligari ad hæc non faciendā; sed hoc est absurdum; ergo. Minor & ex se videtur manifesta, & probatur, inferendo ex ea alia absurda. Primo sequeretur neminem peccare. Probatur; nam nemo peccat per hoc præcisè, quod faciat id, quod Deus determinatè, & efficaciter vult, ut faciat, & facit eo modo, & cum ijs circumstantiis, cum quibus necessarium est, ut illud faciat, ne frustretur voluntas Dei; sed cum quis liberè, volens, ac sciens, & cognoscens se obligari ad non blasphemandum, blasphemat, facit actum blasphemandi, quem Deus vult, ut faciat, & facit eo modo, & cum ijs circumstantiis, cum quibus Deus efficaciter, ac determinatè vult, ut faciat talem actum blasphemandi; ergo non peccat.

18. Dicunt: Deus vult, ut qui blasphemat faciat actum materiale blasphemandi, qui actus secundum se est bonus, sed non vult, ut faciat talem actum blasphemandi cum malitia formali, & cum deformitate, ideoque blasphemans peccat per hoc, quod faciat actum blasphemandi cum malitia formali, & cum deformitate, quam Deus non vult.

19. Sed contra primo, nam cum Deus vult, ut quis hic, & nunc, volens, ac sciens faciat actum materiale blasphemandi, vult, ut illum faciat eo pacto, quo possibilis est fieri hic, & nunc, non autem eo pacto, quo hic, & nunc fieri nequit; sed hic, & nunc possibile est solum, ut actus blasphemandi fiat cum malitia, & deformitate formali; ergo. Contra est secundo: nam cum Deus vult, ut quis blasphemet, vult, ut actum blasphemandi faciat eo pacto, quo debet fieri, ne frustretur voluntas Dei; sed ne frustretur voluntas Dei, blasphemans debet facere actum blasphemandi cum malitia formali; eo enim ipso, quod faceret sine malitia formali, frustretur voluntas, qua Deus vult, ut hic & nunc non liceat blasphemare, adeoque ut eo ipso, quod quis liberè, & sciens, & volens blasphemet, peccet; ergo.

20. Secundo sequeretur omnia peccata, debere imputari Deo ut causæ non solum physicae, sed etiam morali. Probatur: nam peccatum imputatur illi, qui ad ipsum prædestinat, sciens, & volens, ut fiat etiam cum malitia formali; sed Deus ad hoc prædestinat, ut probatum est; ergo peccata imputantur Deo.

21. Posito, quod Deus non possit prædestinare actus liberos moraliter malos, puta, odium Dei &c. sequitur, quod illos ex directione scientiæ mediæ purè permittat; Per-

missio porro consistit in voluntate ponendi illud principium proximum ex se indifferens ad peccandum, vel non peccandum, ex quo Deus per scientiam mediā videt secuturum peccatum. Explicatur. Deus videbat per scientiam mediā, quod si dedisset Adamo tale principium proximum, cum quo Adam poterat vel obedire præcepto, vel illud transgredi, & sic peccare, Adam esset liberè peccaturus. Non obstante hac scientia mediā, Deus dixit: *Volo dare Adamo tale principium proximum, cum quo video illum peccaturum, & sic volo permittere, ut peccet*. Hic actus fuit permissio peccati, seu voluntas permissiva peccati, & nullum fit peccatum, quin Deus illud permittat, sciens, & volens.

22. Iam verò dupliciter potest intelligi Deum, cum dat auxilia inefficacia, permittere dissentium, & peccatum. Primo ita, ut sit paratus dare eadem auxilia, si videret illa fore efficacia, adeoque sit paratus prædefinire consensum, ita ut dicat: *Volo dare Petro auxilium, quod video fore inefficax, & si viderem illud fore efficax, vellem dare idem auxilium, & vellem prædefinire consensum*. Secundò ita, ut si videret talia auxilia fore efficacia, paratus sit dare alia auxilia inefficacia, & dicat exempli gratia: *Volo dare Iudæ auxilium, quod video fore inefficax, & si viderem hoc auxilium fore efficax, vellem dare aliud auxilium, quod viderem fore inefficax, & vellem permittere, ut Iudas proderet, propter maximam bonam securitatem ex prodicione*.

23. Hoc posito, quaeritur, utro ex duobus modis Deus conferat auxilia inefficacia?

24. Respondeo Deum conferre auxilia inefficacia voluntate, qua est paratus conferre eadem auxilia, si videret fore efficacia, non autem voluntate, qua sit paratus dare alia auxilia inefficacia, si videret hæc, quæ confert, fore efficacia. Abstrahimus porro à quaestione, in qua quaeritur, in qua consistat efficacia, vel inefficacia diuinorum auxiliorum, de qua per Pontificias Constitutiones disputare non licet.

25. Probatur: nam Deus auxilia inefficacia dat animo sincero, & primo, & per se intendens, ut creatura per hæc auxilia consentiat, & faciat actum bonum; dissentium verò, & peccatum purè permittit; bona consequentia ex peccato, & quæ non possent esse sine peccato, intendit intentione solum secundaria; sed hæc non verificantur, si daret auxilia inefficacia, non daturus eadem, si videret sequiturum consensum; ergo &c. Probatur minor: nam quo pacto dat auxilia primo, & per se per illa intendens consensum, dissentium autem purè permittens, si dat ita, ut nollet illa dare, si videret secuturum consensum? Profecto si medicus daret medicamentum, ex quo videt propter abusum aegroti non secuturam sanitatem, sed mortem, illud non daturus, si videret secuturam sanitatem, sed daturus aliud medicamentum, ex quo propter similem

mitem ab usum ægroti videret securam mor-
tem, non daret medicamentum animo sincero,
& primo, & per se intendens sanitatem, mor-
tem autem purè permittens; ergo idem pro-
portionaliter dicendum de Deo.

26. Inferitur primò, quod Deus non po-
test etiam de potentia absoluta dare auxilia in-
efficacia, paratus, si videret fore efficacia, non
dare illa, sed dare alia, quæ videret fore inef-
ficacia. Ratio est, quia Deus auxilia ineffica-
cia non potest dare, nisi animo sincero, pri-
mo, & per se per illa intendens actum bonum,
peccatum verò purè permittens; sed hæc sunt
incompossibilia cum illo modo dandi; ergo
&c.

27. Inferitur secundò, quod Deus cum
dat auxilia inefficacia, amat quidem, & in-
tendit permissionem peccati, sed amore, &
intentione secundaria, ita ut quantum est ex
se, & si per voluntatem creatam non steterit,
primario, & magis amet, & intendat prædefini-
tionem actus boni, quam prædefinitionem
paratus est ponere, si videret liberum arbi-
trium his auxilijs consensurum.

28. Sed dices: si Deus primò, & per se in-
tendit consensum, quare non dat aliud auxi-
lium, cum quo videt liberum arbitrium con-
sensurum?

29. Respondeo rationem esse, quia Deus
ex sua libertate primo, & per se intendit con-
sensum ut habendum per hæc auxilia, non ut
habendum per alia.

30. Ad 1. nego maiorem. Deus dicitur
inducere ad malum, tradere in passiones igno-
minia &c. non per hoc, quod prædefiniat ma-
la, & peccata, sed per hoc, quod deferat, ac
non det auxilia efficacia, & sic permittat, ut
homo peccet.

31. Opponunt Salmaticenses Tractatu 4.
de Voluntate Dei, disput. 10. dub. 7. hanc so-
lutionem allatam fuisse à Iuliano, & rei-
ctam ab Augustino lib. 5. contra Iulianum,
cap. 3.

32. Respondeo cum Bellarmino lib. 2. de
Ammissione Gratia, & statu peccati, cap. 16.
Augustinum non reiicere illam doctrinam ut
falsam, sed ut insufficientem ad soluendum
id, quod Augustinus opposuerat. Dixerat
Augustinus Deum in poenam vnius peccati
tradere hominem in alia peccata, & ad id pro-
bandum attulerat locum Apostoli ad Roman.
1. *Propter hoc tradidit illos Deus in passiones igno-
minia.* Responderat Iulianus Deum tradere
in passiones ignominia, deferendo, & permit-
tendo. Augustinus hanc responsionem irri-
det. Nam quomodocumque tradat, verum
est, quod Deus propter vnum peccatum tra-
dat in aliud peccatum. Verba Augustini sunt.
*Audis propter hoc, & queris inaniter, quomodo in-
telligendus sit tradere Deus, multum laborans, ut
ostendas illum tradere deferendo. Sed quomodocun-
que tradat, propter hoc tradidit, propter hoc dese-
ruit.* Quod autem Augustinus concedat Deum
tradere, deferendo, & permittendo, probat

Bellarminus ex ijs, quæ Augustinus subiun-
git, dicens. *Cum ergo dicitur homo tradi dese-
rijs suis, inde fit reus, quod desertus à Deo cedit
eis &c.* ergo Augustinus concedit Deum tra-
dere deserendi, deferendo, & permittendo.
Solutionem aliarum obiectionum ex Scriptu-
ris, & Patribus vide apud Bellarm. lib. 2. de
Ammissione Gratia, & de statu peccati, cap. 11.
& sequentibus.

33. Ad 2. distinguo maiorem: Deus est
causa per se, & ex intentione omnis boni, non
solum moralis, sed etiam physici, quod non
sit moraliter, & simpliciter malum, concedo:
quod sit moraliter, & simpliciter malum, ne-
go; & nego consequentiam. Deus est causa
per se, & ex intentione omnis boni physici,
quod non est moraliter malum: at boni phy-
sici, quod est moraliter, & simpliciter ma-
lum, Deus non est causa per se, sed solum per
accidens, & purè permissiva; sed odium Dei,
& alij actus peccaminosi, ita habent aliquam
bonitatem physicam, ut moraliter, ac sim-
pliciter sint mali; ergo. Ad confirmationem
respondeo eodem pacto, de ratione boni phy-
sici, quod non sit moraliter, & simpliciter
malum, esse, ut non possit dari, nisi Deo vo-
lente: de ratione autem boni physici, quod sit
moraliter, & simpliciter malum, esse, ut non
possit dari, nisi Deo permittente.

34. Ad 3. distinguo maiorem: Deus non
potest concurrere per se ad vllum effectum,
nisi positivè volens concurrere, nego: nisi
positivè, aut permissivè volens concurrere,
concedo maiorem: concedo minorem; & di-
stinguo eodem pacto primum, & secundum
consequens. Ut Deus per se concurrat ad
aliquem effectum, debet propriè, positivè, &
determinatè velle concurrere: at ut Deus per
accidens concurrat ad aliquem effectum, debet
solum permissivè velle concurrere; sed Deus
ad actus peccaminosos concurrat solum per
accidens; ergo.

35. Ad 4. concedo antecedens, & nego
consequentiam. Ad probationem distinguo
maiorem: quod est obiectum diuinæ omni-
potentiæ, potest esse obiectum diuinæ volun-
tatis ut positivè illud volentis, nego: ut posi-
tivè volentis, vel ut purè permittentis, con-
cedo maiorem; concedo minorem; & nego
consequentiam. Quidquid est obiectum diui-
næ omnipotentia, potest esse obiectum diuinæ
voluntatis: sed sicut diuerso modo potest esse
obiectum diuinæ omnipotentia, sic diuerso
modo potest esse obiectum diuinæ volunta-
tis. Quod igitur potest esse obiectum diuinæ
omnipotentia, ut per se ad illud concurren-
tis, potest esse obiectum diuinæ voluntatis, ut
illud volentis, & intendentis: quod autem
potest esse obiectum diuinæ omnipotentia, ut
per accidens solum ad illud concurrentis, po-
test esse obiectum diuinæ voluntatis, non ut
illud positivè volentis, sed ut illud solum per-
mittentis. Sed actus peccaminosus est obie-
ctum diuinæ omnipotentia ut per accidens so-

lum ad illud concurrentis; ergo.

36. Ad 5. Deus potest prædefinire actus malos, salua eorum libertate, si aliunde hoc non repugnet; sed quia aliunde repugnat Deum prædefinire actus malos, ut ostensum est, ideo Deus non potest absolute prædefinire actus malos.

QVÆSTIO LXXXII.

Virum voluntas, qua Deus dat reprobis auxilia sufficientia, sit beneuola erga reprobos?

Videtur non esse, primò quia non est beneuola voluntas, qua nemo, prudens vellet se amari, immo mallet nullo amore amari, quam amari tali voluntate; sed nemo prudens vellet se amari voluntate, qua Deus velit illi dare existentiam, & auxilia sufficientia, cum quibus per scientiam mediam videt ipsum sua culpa damnandum; ergo &c.

2. Secundò si medicus potens dare egrotò medicamenta, quibus sciret egrotum non solum posse sanari, sed etiam de facto sanandum, daret medicamenta, quibus sciret egrotum posse quidem sanari, sed de facto non sanandum, sed potius moriturum, non exerceret erga egrotum voluntatem beneuolam; ergo à pari.

3. Respondeo voluntatem, qua Deus vult reprobos creare, illisq; dare auxilia sufficientia, cum quibus per scientiam mediam videt eos de facto sua culpa damnandos, esse beneuolam erga reprobos.

3. Probatur; nam de ratione gratiæ, & beneficij est, ut detur ex amore, & voluntate beneuola, ideoque amor est prima gratia, & primum donum, à quo cætera denominantur beneficia, & dona, ita ut si dentur absque amore, amittant rationem gratiæ, & beneficij; sed Creatio, Redemptio, Iustificatio, & Gratia sufficiens ad consequendam salutem, sunt beneficia, & gratiæ multis reprobis collatæ, pro quibus debent Deo gratias agere; ergo.

4. Confirmatur: nam Scripturæ, & Patres laudant diuinam bonitatem ex hoc, quod multa beneficia conferat etiam malis, & reprobis; sed non conferret beneficia, nisi conferret ex amore, & voluntate beneuola; ergo &c. Probatur maior: nam Matthæi 5. dicitur, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos. Lucæ 6. eritis filij altissimi, quia ipse benignus est super ingratos, & malos; Chrysostomus homil. 5. de Anathemate: Mortuus est pro inimicis, pro Tyrannis &c. quos tales ante constitutionem mundi sciebat, eosque præsciens formauit, vincente præscientiam bonitate; Augustinus lib. 3. de lib. arbitr. cap. 5. Nec ab illa creatura, quam præsciuit Deus non solum peccaturam, sed etiam in peccandi voluntate mansuram, abstinuit largitatem bonitatis, ut eam

non conderet. Videri potest Ruiz disp. 17. de prædestinatione, sect. 1. ubi affert plura alia loca Patrum.

5. Ad primum responderi potest primò transmissa maiore, negando minorem. Ex doctrina Augustini lib. 3. de lib. arbitr. cap. 6. & 7. Damasceni Dialog. contra Manichæos post medium, S. Thom. opusc. de Prædestinatione, cap. 7. quem sequuntur Thomistæ communiter, quos refert, & sequitur Ruiz disp. 17. de prædestinatione, sect. 2. melius, & eligibilis est reprobis creari, & in æternum damnari, quam non creari, vel post peccatum annihilari, adeoque quilibet prudens, data optione, deberet eligere primum præsecundo; ergo. Audiatur Augustinus lib. 3. de lib. arb. c. 6. Si quis dixerit non esse, quam miserum me esse mallet, respondebo, mentiris. Et cap. 7. initio; Si dixeris; ideo magis volo vel miser esse, quam omnino non esse, quia iam sum, si autem prius quam essem, possem consuli, eligerem non esse potius, quam ut miser essem; nunc autem id nolo, quod velle deberem; hanc responsionem ex professo rejicit Augustinus toto cap. 7. Cum enim qui existit, in quantum existit, licet miser sit, participet aliquid de diuino esse, de diuino bono, de diuina vita, & de diuina cognitione, & amore, quo Deus amat suam felicitatem, qui autem non est, omnino nullum bonum participet, melius est miserum esse, participando multa bona, quam nullo pacto esse, carendo omni bono.

6. Opponitur illud Christi Matth. 26. melius erat illi, si natus non fuisset.

7. Responder Ruiz ex Damasceno, & alijs per hoc solum significari, quod data optione, vnusquisque practicè deberet potius eligere non esse, non nasci, & non creari, quam peccare, cum peccatum sit practicè ineligibile. In hoc autem sensu, data optione, vnusquisque practicè deberet potius eligere non creari, vel annihilari, quam peccare, & prædestinari, ac saluari, siquidem peccatum practicè est ineligibile. At data optione deberet vnusquisque potius eligere creari, & prædestinari, Deo permittente peccatum, quam non creari; & proportionaliter data optione, deberet eligere creari, ac reprobari, & damnari in æternum, Deo permittente peccatum finale, & æternam damnationem, quam non creari, vel annihilari. Iuxta hanc doctrinam, cum Deus etiam reprobis conferat statum magis eligibilem, quam si non creasset, voluntas creandi reprobos, permittendo eorum damnationem, est erga reprobos beneuola.

7. Verum quia hæc doctrina à multis non approbatur; respondeo secundò distinguo maiorem; non est voluntas beneuola, quam nemo prudens vellet se amari secundum virtualitatem, quam voluntas habet per se, & ex intentione volentis, concedo: secundum virtualitatem, quam habet per accidens, & impedibiliter, propter abutum liberi arbitrij conditionatè præsum, nego: distinguo eodem pacto